

anniversarium philisthaeae gentis spectaculum ad memoriam huius rei conservandam institutum Romam traductum esse; quod, ut alia quae vera fuerunt ab idololatriis oblivione, falsisque narrationibus, et superstitionibus obscuratum ac inquinatum, ad *Nasonis* tempora usque manserit.

¶ AD TERTIUM: Ope bestiarum *Samson* hoc incendium disseminare maluit, quam hominum, quia sic citius, et minore sui, suorumve periculo voti fiebat compos. Neque enim ipse solus, imo nec plures homines, tam cito, tam longe tamque late ultrices has perferre flammam potuissent, nisi sese in illas pene medias, magno cum vitae suae periculo, ineptaque temeritate voluissent identidem inferre. E bestiis vero omnibus ad disseminandum incendium *Samsoni* merito visae sunt aptissimae vulpes, quia haec animalia non solum iis in locis sunt numerosissima, sed etiam oblongior ipsorum cauda optime facibus defendendis inservire poterat, quas adnectere illis volebat; et quia eadem animalia ignium sunt maxime mentientia, et pedibus velocissima, semperque hac illac oblique feruntur, sicque prae caeteris animalibus melius flammam per segetes atque in philistinorum agros diffundere poterant, quo instinctus naturaliter illa proripiebat, ut extinguerent ignem, qui ea sequebatur, et incendebat. Nihil ergo *Samson* eligere poterat consilio suo accommodatius, quam vulpes.

33. QUAERES X. An verisimile sit, quod *Samson* (Iud. 15, v. 15) maxilla asini mille viros interfecerit?

(1) Sicut alias, quando *Samson* eiusmodi stupenda fortitudinis seu roboris corporis specimina dedit (Iud. c. 14, v. 6 et 19): ita etiam hic non viribus mere humanis, sed extraordinario robore coeli-

2. Quod aqua (ibidem v. 19) ad levandam *Samsonis* sitim de maxilla asini scaturierit? 3. Quod hic fons *Samsonis* (ut interpretes communiter asseverant) per multa secula fluxum suum continuaverit, et fortassis etiamnum continuat?

¶ AD PRIMUM: Asini uti magna habent duraque capita, sic et maxillas, praesertim in Syria, ubi sunt grandiores et fortiores nostratibus. Accedit, quod maxilla illa fuerit asini haud ita pridem mortui, utpote במיתתו *Betintho*, humens et tabo adhuc fluens (ut paraphrasis chaldaica habet) adeoque magis tenax et minus fragilis, quam si fuisset exsiccata et arida. Hoc insuperhabito naturaliter vix fieri poterat, ut *Samson* una maxilla occideret mille viros; sed Dei virtus (1) ei adfuit, quae et maxillam in suo robore conservavit, ut tot ictibus allisa duris corporibus non rumperetur, ac *Samsoni* vires dedit, ut hoc instrumento mille viros necaret. Hoc fecit *Samson*, qui erat iudex et vindex illius populi, cui Deus in lib. Levitici (2), si praecepta servaret, promisit: Persequentur quinque de vestris centum alienos, et centum de vobis decem millia. Immo in lib. Iosue (3): Unus e vobis persequetur hostium mille viros, quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est.

¶ AD SECUNDUM Deus miraculose (neque ulla implicantia aut impossibilitas huius miraculi ab incredulis ostendi potest) fontem eduxit ex molari dente maxillae; atque in prodigii illius monumentum, locus ille appellatus est fons invocantis de maxilla usque ad tempus auctoris,

tus confortatus, id factam praestitit; prout satis indicant haec verba: Irruit Spiritus Domini in eum. Iud. c. 15, v. 14.

(2) Cap. 26, v. 8.

(3) Iosue c. 25, v. 10.

qui librum Iudicum conscripsit (1). Controversum autem est, quid hic per dentem molarem intelligatur, an dens molaris maxillae asini, qua *Samson* mille philisthaeos interfecit, quem sensum verba vulgatae, et LXX interpretum, prout iacent, accepta exhibent, quemque plerique sequuntur interpretes. An vero petra, quae ibi erat, et cui nomen dens maxillaris, propter formam, quam praeseferebat, erat inditum, quem sensum paraphrasis chaldaica (2) exprimere videtur, et *Iosephus* (3) amplectitur, quique *Calmeto* (4) magis arridet praecipue ex sequentibus rationibus. I. Miracula non sunt multiplicanda sine necessitate. Nonne satis magnum miraculum fuerat, Deum petram aperuisse, ut inde aqua emanaret? Igitur necesse non est cum *Serario* (5), *Tirino* et *Cornelio a Lap.* (6) dicere, quod aqua ex terra, in quam *Samson* maxillam asini proiecerat, erumpens in maxillam, et per huius dentem molarem scaturierit, aut cum adhuc ibi iaceret asinina maxilla, ex hac sola fluxerit: ipsa vero post remota, e terra coeperit scaturire. II. In sententia *Calmeti* explicatur facile, quomodo fons ille eodem in loco persistere potuerit

plurium seculorum spatio, qui forte ad hanc usque diem perseverat. Rupta enim semel per miraculum petra, aquae ductibus subterraneis huc directae, continuarunt postea fluxum iuxta naturae leges. Certe, qui credere fontem hunc adhuc existere in Palaestina, non id profecto existimarunt, illum ex maxilla asini adhuc emanare. Si autem dicas, eundem, quando ortus est, miraculose tam ex terra, quam ex dente molari maxillae asini proflixisse; postea vero, cum *Samson* sitim extinxisset, et vires suas refocillasset, cessasse fluxum aquae ex mandibula, sed continuatum esse ex terra, multiplicas miracula absque necessitate. III. Hebraeis usitatum erat dentium nomen abscissis rupibus imponere (7). Igitur verisimile est, quod petrae in loco *Lechi*, id est, maxilla dicto sitae vel ob formam, quam praesetulit, vel post factum illud *Samsonis* maxilla asini mille philisthaeos occidentis, ac in eventus huius gratiam nomen מכתש *Machtes*, id est, dens maxillaris seu molaris fuerit inditum, non secus ac להי *lechi*, seu maxillae nomen inditum fuit loco, ubi *Samson* maxilla asini fuderat philisthaeos. Quibus suppositis sensus s. Scri-

(1) Textus enim sacer Iud. c. 15, v. 19, ita habet: Aperuit itaque Dominus (en! miraculum) molarem dentem in maxilla asini, et egressae sunt ex eo aquae... Idcirco appellatum est nomen loci illius, fons invocantis de maxilla, usque in praesentem diem.

(2) Iud. cap. 16, v. 19, וברע יו ות כנפא די בלועא וכפקו מינה מויה *Rupit Deus rupem, quae in maxilla, et exierunt ex ea aquae. Quae verba videntur habere hunc sensum: «Aperuit Deus petram, quae in loco להי *lechi*, id est maxilla dicto sita erat, et exierunt ex ea aquae.» Hic etiam observare iuvat, quod *Iosephus*, lib. 5 antiq. iudaic. c. 10, dicat nomen huic loco, ubi fons ille scaturit, postea fuisse Σαργών, maxilla.*

(3) Verba *Iosephi* loc. cit. (nempe lib. 5 antiq. iudaic. c. 10) sunt haec: Deus eduxit e lapide, qui ibi erat, fontem aquae dulcis, atque abundantis.

(4) Commentar. in Iud. c. 15, v. 19

(5) Loc. cit. q. 46.

(6) Comment. in Iud. c. 15, v. 19.

(7) Sic I. Reg. c. 14, v. 4, dicitur: Eminentes petrae ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc, et inde praerupti, nomen uni Boses, et nomen alteri Sene. Item I. Reg. c. 7, v. 12: Inter Maspath et inter Sen, etc. Ubi notandum, quod vox haec hebraea *Sen*, sive *Scen* שן dentem significet, et ab he-

braeis usurpetur de cautibus praeruptis instar dentium.

pturae Iud. 15, v. 19 prodit iste: Dominus rupit Machtes seu dentem molarem (id est, rupem huius nominis), quae erat in Lechi (id est, in loco maxilla nominato), atque inde egressae sunt aquae, et Samson bibit; et spiritum recepit, et vixit (sese collegit): idcirco dedit illi (loco) nomen fontis clamantis seu invocantis (orante enim et Deum invocante Samson obtentae fuerunt hae aquae, et ideo locus ille (1), ubi fons erupit, עין הקורא Hen hakorè, id est, fons invocantis ap-

(1) Hic cum Menochio comment. in Iud. c. 15, v. 18 bene notandum, quod totus locus, ubi Samson mandibulam asini proiecit; et ad levandam sitim aquam a Deo petiit et obtinuit, dictus sit רמת לחי Ramath lechi, elevatio maxillae; prout Iud. c. 15, v. 17, narratur: peculiaris vero locus, in quo eruperant aquae ex dente molari, appellatus sit fons invocantis v. 19. Porro, quando Vulgata nostra hoc versu dicit: Idcirco appellatum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in praesentem diem, verba illa de maxilla, vel non debent accipi ut coniuncta cum voce invocantis, sed potius cum voce loci, vel si accipiuntur ut coniuncta cum voce invocantis, solum sic accipi possunt hoc sensu, quod Samson Deum invocaverit de maxilla, id est, in vel e loco qui maxilla dictus est. Patetur id ipse Serarius loc. cit. et declarat his verbis: « Non dixit (latinus interpres) in maxilla, sed de maxilla; quod tamen non est cum voce invocantis iungendum, sed cum voce loci, ut connexio (seu sensus) sit: Appellatum est nomen loci illius de maxilla, id est, e toto illo, qui maxilla vocatus erat, campo, certi et particularis, quem occupavit fons, loci nomen erat, Fons invocantis. Si tamen (has voces: de maxilla) cum invocantis vellet quis connectere, posset interpretari, Fons invocantis de maxilla, id est, e loco, qui maxilla dictus. » Ita Serarius, cui hac in re etiam paraphrasis chaldaica, textus graecus 70 interpretum, et ipse textus hebraeus originalis suffragantur, ut ex sequentibus notis mox videbimus.

(2) Verba paraphraseos chald. Iud. c. 15, v. 19 (prout in polyglottis card. Xi-

pellatus est) qui (fons) est in Lechi (seu in loco maxilla nominato) usque ad diem hanc. Certe hunc sensum et paraphrasis chaldaica (2), et textus graecus LXX interpretum, saltem quoad ultima verba (3), et etiam textus originalis hebraeus ad literam acceptus (4), praesefert, ideoque hoc sensu etiam verba Vulgatae intelligenda sunt. IV. Confirmat Calmetus suam sententiam auctoritate plurimorum atque eruditissimorum interpretum, citans pro se Ariam Montanum, et plures alios (5).

¶ AD TERTIUM: Equidem non

menti invenies) sunt haec: על כן אתקרא שמה עינא דאיתיהיבת בצלוחא דשמרון שמיה הא קימא בלחי עד יומא הדין Propterea vocatum est nomen eius, Fons, qui datus est in oratione Simson; ecce ipse constans in Lechi (id est in loco Lechi, seu maxilla dicto) usque ad diem hanc.

(3) Textus graecus 70 interpretum ita sonat: Δια τούτου ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ, πηγὴ ἐπιχαλουμένου, ἣ ἔστιν ἐν σιαγόνι, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. Idcirco appellatum est nomen illius, Fons invocantis, qui est in maxilla, usque ad diem hanc.

(4) Iud. c. 15, v. 19, על כן קרא שמה עין הקורא אשר בלחי עד היום הזה Ideo vocavit nomen eius fontis clamantis, qui est in Lechi usque ad hanc diem.

(5) Eandem sententiam doctiss. Calmet repetit et confirmat in dictionario suo biblico, verbo Lechi dicens: « Aspera, ac praerupta saxa aliquando apud hebraeos dentes appellantur I. Reg. c. 14, v. 4 et 5; Iobi c. 59, v. 28: quare Deus e saxo, cui nomen dens molaris (Iud. c. 15, v. 19) forte in loco victoriae Samsonis mandibulae ope relatae occurrens, venam aquae eduxit; unde loco nomen Lechi, sive mandibula. Cum vero eodem loco, et saxum dens molaris dictum, et nomen mandibulae coniungerentur, inde autumarent plures, fontem illum non e saxo, sed e dente mandibulae asini eductum, quod quidem monstri loco esset. Verisimilius nos, et minori prodigio hunc fontem e saxo deducimus; nec nos tantum, sed et Iosephus, et paraphrastes Ionatham et interpretes plurimi. »

negamus, sed cum s. Hieronymo (1), Glyca (2), et communi interpretum admittimus, fontem illum Samsonis multis post seculis perdurasse, et forte etiamnum perdurare: sed in hoc continuo fluxu aquarum explicando non est difficultas; ut patet ex allata responsione AD SECUNDUM. Sive enim cum Calmeto et aliis dicas, aquam profluxisse non ex dente molari maxillae asini, sed ex saxo ibi posito, Machtes, seu dens molaris appellato; sive cum communiore interpretum contendas, quod aquae ex terra, sed per loculamentum seu mortariolum dentis molaris maxillae asini fluxerint, utrobique facile capi potest, quod aquae solum ex terra, vel rupe fluxum suum iuxta naturae leges, aquae ductibus subterraneis semel huc directis, continuarent, quamvis extincta Samsonis siti, ex maxilla asini (si tamen ex hac prius fluxere) fluere cessarint.

34. QUÆRES XI. An verisimile sit, quod philisthaei, cum audissent (Iud. 16, v. 2), quod Samson urbem Gazam ingressus sit, et ibidem apud mulierem meretricem divertat, huius domum non invaserint, ut Samsonem ibi iaculis confoderent, vel cremarent una cum domo? 2. Quod Samson ambas urbis Gazae fores (Ibid. v. 3) cum postibus suis et sera ad verticem montis portavit? 3. Quod tam latos humeros habuerit, ut iisdem ambas portae fores imponere potuerit? Neque enim con-

(1) Verba s. Hieronymi in Paulae epitaphio sunt haec: Transibo ad Aegyptum, et in Sochoth, atque apud fontem Samson, quem de molari dente maxillae produxit, subsistam paulisper, et arentia ora colluam, ut refocillatus videam Morasthim, sepulcrum quondam Michaeae prophetae, nunc ecclesiam.

(2) Glycas in annalium part. 2, inquit: De maxilla, quam abiecerat Samson, ingens aquae copia promanavit. Atque hic fons in hodiernum usque diem in Eleuthe-

stat, quod staturam corporis giganteam habuerit. 4. Quod CUSTODES, QUI AD PORTAM CIVITATIS (Iud. 16, v. 2) TOTA NOCTE CUM SILENTIO PRAESTOLABANTUR, UT FACTO MANE EXEUNTEM OCCIDERENT, Samsonem ab egressu et violenta ablatione forium portae urbis non impedierint?

¶ Multa fiunt, et sunt vera, quae non sunt verisimilia; sicut vicissim multa sunt verisimilia seu probabilia, quae tamen falsa sunt. Quamvis igitur in sacro codice non pauca sint, quae spectando solam rationem humanam non sunt satis verisimilia, minime sequitur, illa esse falsa aut impossibilia. Aliud enim est, esse falsum aut omnino impossibile, et aliud, spectata ratione humana, aut iuxta ordinarium naturae cursum, et communem hominum agendi modum, non esse satis verisimile.

Ceterum AD PRIMUM non una es interpretum responsio. Calmetu ait, philisthaeos veritos fuisse palam et in urbe sua Samsoni inferre bellum, ne heros iste sese defendens illam caede repleret; sed posuerunt insidias in portis urbis, ut nisi adeo viribus praestarent, ut illi possent obsistere, saltem ei portas clauderent, ne ad suos sese posset recipere. Haec eadem videtur esse ratio, quamobrem domui, ubi aderat, ignem minime apposuerunt. Silentium autem servarunt, ne leonem hunc excitarent ad totius civitatis excidium. Abulensis addit, philisthi-

ropolis suburbio conspicitur, et fons maxillae nominatur. Observat autem Serarius, interpretem latinum (nam Glycas erat monachus graecus, et annales suos originaliter graece scripsit) Suburbium forte vocasse, quod suburbanum alii. Porro Glycas non nisi sex vel septem seculis nos antecessit. Nam legitur extitisse anno 1150, et annales suos continuavit usque ad Ioannem Comnenum imperatoris Alexii filium.

nos putasse, quod si eum intra domum: capere vellent, potius eum occiderent, quam caperent; et tamen ipsi desiderabant, ipsum viventem capere, ut, antequam eum interficerent, in eo ludibria exercerent; sicut postea fecerunt. Ideo exspectarunt, donec egrederetur domum; quia extra hanc putabant eum vivum capiendum. Praeterea non potuissent eum capere intra domum mulieris, nisi vel dirueretur domus, vel incenderetur: et cum existimarent, se aliter posse eum capere, noluerunt hoc damnum domui inferre.

¶ AD SECUNDUM: Haec et plura similia *Samson* utique non potuit per vires naturales, sed per robur supernaturale, quod ipsi habitualiter (1) praesto fuit, donec illud culpa sua (2) amitteret. Certe, qui magni huius herois gesta vel obiter et per transennam aspicit, mira ubique videt, imo miracula: in natiuitate, vita, morte (3). Neque Deo omnipotenti difficilius est, miraculum respectu nostri maius patrare, quam minus: ut iam alibi (4) observavimus, et ex eo patet, quia Deo nihil difficile est. Omnipotentiae enim divinae, id est, potentiae infinitae nullus effectus est productus facilius aut difficilius altero, sed omnium et singulorum productio (dummodo possibiles sint, seu nullam implicantiam seu contradictionem involvant) est aequae facilis. Atqui increduli neque in factis *Samsonis*, neque in aliis mirabilibus s. Scripturae implicantiam seu contradictionem ullam unquam ostendere potuerunt, nec unquam pote-

(1) Vide supra n. 29 ad finem.

(2) Iud. c. 16, v. 17-21.

(3) Iud. c. 13 et sequentibus usque ad c. 17.

(4) Vide supra q. 4 de libro *Iosue*, Orrox. III in solutione.

runt. Ceterum *Samsonem* extraordinaria prorsus, et humanas vires longe superantia fortitudinis specimina edidisse, etiam inde elucescit, quia fama de stupendis eiusdem factis adeo in orbe inclaruit, ut gentiles, quemadmodum alia multa ex sacris literis desumpta ad ethnicas fabulas suas detorserunt, ita etiam *Herculem Samsoni* similem ambitioso mendacio confinxerint. Verus itaque *Hercules*, cuius occasione gentilium fabulae de suo *Hercule* vel *Herculibus* prognatae sunt, erat *Samson*; ut ex multis indicis probant *Serarius* (5), *Cornelius a Lap.* (6) et *Calmet* (7), comparando vera *Samsonis* facta cum fictitiis *Herculis* gestis.

¶ AD TERTIUM: Quamvis *Samson* ob eximiam roboris sui praestantiam, rerumque abs se uno gestarum magnitudinem atque admirabilitatem per *tropum* non inepte *gigas* vocari possit: tamen proprie *gigas* non fuit, nec *giganteam corporis molem ac figuram habuit*. Nam I. Id verbo aliquo innuisset Scriptura, ut in *Goliath*, et aliis: sed Scriptura nullibi *Samsonem* vocat *gigantem*, nec dicit eum *gigantea corporis mole et statura fuisse*. II. Non petissent ab eo per *Dalilam philisthaei* (8), qua in re suum haberet collocatum robur. Omnium enim fuisset persuasio, in vasta illa corporis magnitudine (siquidem eam *Samson* habuisset) situm illud esse. III. Fortitudo *Samsonis* non in *gigantea corporis mole*, sed in *capillis sita erat*. IV. Momenti nullius est argumentum, quod *Samson* utrasque portae fores humeris imponere non potuisset, nisi eos ingenti latitudine habuisset extensos. Non-

(5) Comment. in Iud. c. 16, q. 36.

(6) Ibid. v. 30.

(7) Ibid. v. 31.

(8) Iud. c. 16, v. 5.

ne enim quamplurimi quamplurima, quae ipsorum humeris latiora sunt, ferunt? Nonne valvam valvae imponere, sicque ferre potuit? Praeterea, quando vires supernaturales sunt, non requiritur, ut amplum, magnum, immanequae supra consuetum modum corpus sit: cum et in mediocri corpore illas progignere possit Dominus. Hinc ad solvendam modo allatam obiectionem ne utiquam necesse est cum rabbino *Simone Hachasid* (1) dicere *Samsoni* humeros adeo latos fuisse, ut inter eorum utrumque essent cubiti sexaginta; prout de hoc thaludico rabbino narrant *Serarius* et *Corn. a Lap.*

¶ AD QUARTUM: et dico cum *Abulensi* (2), verosimile esse, quod, cum media nocte *Samson* egrederetur, custodes ad portam urbis contremuerint, nec ausi sint movere manus adversus eum, sed potius metu mortis fugerint. Sciebant enim, quod ipse solus fugaverit totum agmen philistinorum, et occiderit mille viros (3). Unde *Samson* nullo impediendo deiecit ianuam urbis ad terram, et asportavit eas. Caeterum Deus sapientissimum finem habuit *Samsoni* concedendi supernaturales vires ad fores portae urbis cum probro hostium suorum asportandas. *Samson* enim media nocte tollens ambas portae fores urbis *Gazae* repraesentabat Christum, post mediam noctem e sepulchro resurgentem, ac lapidem sepulchri amoventem, insuper portas mortis, et gehennae auferentem, indeque patriarchas et prophetas, sanctosque omnes cum triumpho educentem. Ita s. *Augustinus* (4), s. *Hieronymus* (5), s. *Gregorius M.*, qui ita (6) pronuntiat: « Quem nisi

(1) In *Sotah*. c. 1, fol. 10.

(2) In Iud. c. 16, q. 4.

(3) Iud. c. 13, v. 15.

Redemptorem *Samson* ille significat? Quid *Gaza* civitas nisi infernum designat? Quid per philisthaeos nisi iudaeorum perfidia demonstratur? Qui cum mortuum Dominum viderent, eiusque corpus in sepulchro iam positum, custodes illico deputaverunt, et eum, qui auctor vitae claruerat, in inferni claustris retentum, quasi *Samsonem* in *Gaza* se deprehendisse laetati sunt. *Samson* vero media nocte non solum exiit, sed etiam portas tulit: quia videlicet Redemptor noster ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed et ipsa etiam inferni claustra destruxit. Portas tulit, et montis verticem subiit, quia resurgendo claustra inferni abstulit, et ascendendo coelorum regna penetravit. Hanc ergo resurrectionis eius gloriam, fratres carissimi, quae et prius demonstrabatur ex signo, et post patuit ex facto, tota mente diligamus, pro eius amore moriamur. »

35. QUÆRES XII. An credibile sit, quod Deus *Samsoni* (Iud. 16, v. 28, 29 et 30) supernaturales vires concesserit ad duas columnas domus concutiendas, et sic ulciscendum se de hostibus suis, et tam hos, quam seipsum communi ruina aedificii occidendum: cum tamen odium inimicorum, et occisio suipsius sint contra ius naturae?

¶ Equidem intrinsece malum seu iure naturae prohibitum est ODII INIMICORUM, hoc est, si quis inimico vult vel infert malum ut malum, sive hoc fine, ut ipsi male sit; non vero si inimico vult vel infert quidem aliquod malum vel molestium aut damnosum, sed ex alio sapiente fine, e. g. ut inimicus iuste puniatur, aut gloria Dei vel reipubli-

(4) Serm. 107 de Temp.

(5) In cap. 4 ad Ephes.

(6) Homil. 21 in Evang.

cae felicitas defendatur, aut laesa recuperetur. Iam vero, licet *Samson*, antequam columnas domus concuteret, privatam tantum excaecationis suae ultionem a Deo flagitaverit, dicens (1): *Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam*; tamen quia ipse publicus erat populi sui iudex vindexque, et quia apostolus (2) eum a fide et fortitudine commendat, illumque inter sanctos V. T. enumerat, hinc omnino verisimile est, ipsum tanquam personam publicam, iudicem et vindicem populi israelitici omnem hanc ultionem retulisse ad Dei honorem et reipublicae suae bonum, utque laudes idolo *Dagon* a philisthaeis ob se captum attributas (3) adimeret, et Deo vero restitueret: qui finis erat sapientissimus et sanctissimus. Accedit, quod lex naturae de dilectione inimicorum (4) tunc nondum fuerit ita nota hominibus; sicut est in lege evangelica a Christo Domino clare promulgata (5). Unde *Samson* illam potuit vel ignorare, vel in illis angustiis publicae confusione non adeo expendisse, intentione sua potissimum ad Dei honorem vindicandum, et bonum populi sui procurandum directa.

(1) Iud. c. 16, v. 28.

(2) Ad hebraeos c. 11, v. 32.

(3) Sic enim legimus Iud. c. 16, v. 25 et 24: *Et principes philistinorum convenerunt in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo, et epularentur, dicentes: Tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat: Tradidit deus adversarium nostrum in manus nostras.*

(4) Vide interpretes, *Cornelium a Lap.* aliosque in *Matth.* c. 5, v. 43, aut *Pen-tateuchum* contra incredulos a nobis propugnatum, sect. 2, c. 4, q. 55.

36. Neque *Samson* peccavit SE-IPSUM OCCIDENDO. Quamvis enim sibi ipsi proprio consilio ac voluntate mortem inferre fas nemini sit (6): tamen *Samson*, se communi ruinae illi domus collabentis exponendo, sibi que sic mortem consciscendo, non peccavit; quia id non humano aut proprio consilio, sed instinctu Spiritus s., qui est dominus vitae et mortis, fecit: prout s. *Augustinus* ex tantarum, quae tum temporis et ad opus illud conficiendum (puta, ad concutiendas columnas) illi a Deo inditae sunt, virium miraculo colligit: « Nec *Samson*, inquit (7), aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia Spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. » Et alibi (8) ait: « Quod cum inimicis occidit et se ipsum *Samson*, quando super se, et super illos deiecit domum, mortem quam mox ab eis fuerat perpressurus, communem voluit cum illis habere, quia non posset evadere. Quod quidem non sua sponte fecit, sed hoc Spiritui Dei tribuendum est, qui usus est eo, ut faceret, quando illi affuit, quod facere non poterat, quando idem Spiritus defuit. Eandem doctrinam tertio loco (9) inculcat, docens, *Samsonem* hoc fecisse non humanitus deceptum, sed divinitus iussum, nec errantem,

(5) *Matth.* c. 5, v. 44. *Luc.* c. 6, v. 27 et 35.

(6) Hanc in christianorum legibus certissimam doctrinam *Serarius* (comment. in *Iud.* c. 16, q. 51) etiam ethnicorum philosophorum effatis luculenter confirmat, ac inter alia ait: « Ipse vero *Plato* lib. 9, de legibus, qui seipsos interfecerint, eos a communi aliorum arcet sepultura, vultque obscuros, et sine statua, sine inscriptione ulla, suis in sepulcris computrescere ignorabiles. »

(7) *Lib.* 1 de civit. Dei, cap. 21.

(8) *L.* 1 contra *Gaudentium*, c. 54.

(9) *L.* 1 de civit. Dei, c. 26.

sed Deo obedientem. » Tum subdit haec verba: « Cum autem Deus iubet, seque iubere, sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? Quis obsequium pietatis accuset? »

CONFIRMATUR I. Apostolus ad hebr. cap. II *Samsonem* a fide et fortitudine commendat, eumque inter eos, qui fide et morum sanctitate praestabant, collocat his verbis: « Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de *Gedeon*, *Barac*, *Samson*, *Iephte*, *David*, *Samuel*, et prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obtulerunt ora leonum. » Atqui tam insigne elogium de *Samsonem* apostolus non dixisset, si existimasset, *Samsonem* domus illius ruina se obruendo peccasse, sicque in mortali culpa mortem obiisse maxime subitam.

CONFIRM. II. Non tantum s. *Augustinus*, sed etiam s. *Ambrosius* a peccato excusat *Samsonem*, seipsum dicto modo occidentem; immo ait, eundem in morte seipsum vicisse: « Etsi incomparabilis, inquit (1), in hac vita fuerit, tamen in morte seipsum vicit, et insuperabilem gessit animum, ut contemneret, et quasi pro nihilo haberet vitae finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur fuit, quod victoriarum numero diem clausit, nec captivum exitum, sed triumphalem invenit. Denique non telis, sed cadaveribus hostium pressus, humatus est, proprio tectus triumpho. » Similiter

(1) *Epist.* 70.

(2) *Ad Cytherium*.

(3) *Epist.* ad *Ianuarium* de recipiendis lapsis ait: « Ecce in fine saeculi consistimus. Instant pro Christi nomine praelia passionum. Quid mirum, si ille, quem fornicationis hasta percussit, in passionis congressione superaverit? Quid, si victor fuerit in martyrio, quem vicerat incon-

s. *Paulinus* (2) de *Samsonem* ait: *Qui servus gloriantem vixerat hoste, obruto victor cadit.* Denique sanctus vetusque auctor *Bacharius* (3) *Samsonem* omnino vocat *martyrem*, quod pro Dei religione et honore ultro occubuerit, sed (ut *Cornelius a Lap.* ait) *abusive*. Sic enim milites contra haereticos vel turcas pugnando occumbentes essent martyres, quod nemo dicet; martyr enim proprie talis non pugnatur, sed patitur.

37. Porro ad excusandum *Samsonem* a peccato, dum seipsum cum philisthaeis ruina domus oppressit, interpretes *Serarius*, *Cornelius a Lap.*, aliique plurimi solent afferre adhuc aliam rationem distinctam a speciali Spiritus s. inspiratione, qua id fecit *Samson*. Nam ita argumentantur: Etiam si *Samson* nullam particularem divinam inspirationem ad hoc habuisset, tamen sola virtute muneris sui, scilicet iudicis ac liberatoris Israel, potuit hostibus populi sui interitum moliri, quamvis praevideret, se mortem effugere nequaquam posse, verum cum aliorum clade se quoque interiturum; dummodo hac in re ad hostium detrimentum, et Dei gloriam, veluti primam praecipuamque rationem animum adverterit; mortem autem suam indirecte duntaxat voluerit, aut potius permiserit, veluti quid necessarium, ut rectum, laudibusque dignum facinus exequatur. Atqui hanc intentionem *Samsonem* habuisse, nullatenus dubitandum est. Primum enim ipsius consilium fuit,

tentia et libido? Nonne sic fecit ille Nazaraeus ex repromissione natus? quem cum in perniciem sui mulieris blandimenta vicissent, postmodum in fine obitus sui sub martyrii passione maiorem inimicorum exercitum prostravisse, quam ante, quando Nazaraeus, hoc est, immaculatus fuerat, reperitur. »

gloriam Dei ulciscendi: alterum vero pro illa vitam quoque suam tradendi, quamquam eam servare malisset, si id cum interitu hostibus illato fuisset possibile. Quod autem, quamvis directe, primario ac per se suam ipsius mortem deligere, procurare, ac efficere non liceat, licitum tamen sit, indirecte, secundario, ac per aliud, seu in alio velle seu potius permittere, quod per se bonum et honestum est, sed non potest nisi morte nostra obtineri; patet in quotidianis bellicae fortitudinis, sanctissimaeque religionis et martyrii exemplis. *Non eligitur*, inquit *Caietanus*, *in huiusmodi casibus mors propria in seipsa: sed per se eligitur mors hostium, et concomitans propria mors toleranda admittitur propter bonum ultionis...* Sic princeps exercitus prostraturus hostes, mortem (sui ipsius) concomitantem non respuit. Itaque Samson hic proprie seipsum non occidit, uti fecisset, si gladio se transfodisset, vel caput ad columnas allisisset; sed permisit tantum se communi cum hostibus ruina opprimi; sicut Eleazar videns elephantem regium, ille se supposuit, eumque occidit, ac eius ruentis mole obrui se permisit, ut populum liberaret (1).

38. At OPPONES: Samson non tantum permissive, sed directe sui ipsius occisionem voluit et positive intendit; prout satis indicant haec eius verba (2), antequam columnas concuteret: *Moriatur anima mea cum philisthim*. R. Cum Serario et dico, haec Samsonis ultima verba partim videri votiva, partim permissiva. *Votum* seu optatio est ut moriantur philisthaei: *Permissio*, ut ipse si-

(1) I. Mach. c. 6, v. 46.

(2) Iud. c. 16, v. 50.

(3) L. 1 de civ. Dei, c. 24.

(4) De praecept. et dispensat. c. 3, ait: Quod utique factum (Samsonis seipsum

mul moriatur, quasi diceret: Opto et volo, philisthaeos mori, et huius ruina domus obrui, et hoc ut fiat, non recuso quin et ego cum iis moriar, simulque obruar; *quemadmodum*, ut paulo ante ex *Caietano* audivimus, *Princeps exercitus prostraturus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit*. Vel cum *Augustino* dicendum est, id *Samsonem* ex speciali Dei inspiratione, qui est dominus vitae et mortis, dixisse et fecisse. Sed

INSTABIS: s. *Augustinus* (3), et s. *Bernardus* (4) expresse dicunt, aliter *Samsonem* excusari non posse, quam per latentem internumque Spiritus s. iussum: ergo altera ratio, quod tantum indirecte et permissive mortem suam intenderit, eundem a peccato non excusat. R. I. Etiam si duntaxat prima ratio (nimirum specialis instinctus Spiritus s.) *Samsonem* a peccato excusaret, inconcussa tamen maneret principalis nostra assertio, videlicet *Samsonem* non peccasse, seipsum ruina domus obruendo. R. II. Miri nil fore, si priori tantum ss. *Augustino* et *Bernardo* in mentem venisset ratio, sed a posterioribus posterior inventa esset ratio theologis. Nam, ut *Serarius* (5) ait: *Dies diei eructat verbum*, vult dicere: Sicut dies edocet diem aliam, et singuli dies nova identidem praebent divinae sapientiae argumenta; sic veritates novae et novae successu temporum deteguntur; proin mirum non foret, si *Augustinus* non omnem rationem excusandi *Samsonem* a peccato occisionis sui ipsius pervidisset, quam posteriores theologo detexere. Addit tamen idem auctor,

domus ruina obruentis), si defenditur non fuisse peccatum, privatum habuisse consilium indubitanter credendum est.

(5) Comment. in Iud. c. 16, q. 51, prope finem.

eandem secundam rationem, quam posteriores theologo ad excusandum *Samsonem* afferre solent, ipsi etiam occurrisset *Augustino*, idque colligi posse ex allato supra contra *Gaudentium* loco s. doctoris: solam tamen laudasse rationem priorem, quia haec clarior, et ab obscurioribus aliis disputationibus, quibus secunda ratio adhuc obnoxia est, seiunctior.

39. COROLLARIUM. Cum *Samson* ex singulari Spiritus s. inspiratione (ut ss. *Augustinus* et *Bernardus* contendunt), vel certe heroico, ac eximie religioso actu (ut ex ss. *Ambrosio*, *Paulino* et *Bachiaro* supra audivimus) sese communi illa domus ruina involvendo vitam finierit: ac praeterea ab ipso s. *Paulo* ad hebr. cap. II inter patres V. T. fide et sanctitate illustres collocetur, haud dubie aeternam salutem consecutus est. Neque enim verisimile est, quod summa Dei bonitas *Samsonem*, per irrisiones, et opprobria philisthaeorum humiliatum, et poenitentia iam expiatum, sed nihilominus publicam israelitici populi, sanctissimaeque religionis causam, ad quam natus et a puero divinitus destinatus erat, strenue agentem, tamque serio et medullitus preces ad Deum, antequam columnas domus concuteret fundentem (1), nunc in extremo vitae tempore siverit gravissima homicidii culpa contaminari, et per illud ipsum, quod tum patrabat miracu-

lum, non corpore solum, sed animo etiam occidi.

At DICES: *Samson* non creditur animae immortalitatem, sed eandem cum corpore interituram putavit; quoniam ultima eiusdem verba, antequam columnas domus concuteret, erant: *Moriatur anima mea cum Philisthim*: ergo *Samson* non est aeternum salvus. R. Sensus horum verborum: *Moriatur anima mea* etc. non est: *Interreat aut morte extinguatur anima mea*, i. e. ipse spiritus vivificans corpus meum, sed est figura synechdoches, qua pars pro toto (nimirum anima tanquam praecipua pars hominis pro toto homine) ponitur (2), quasi diceret: *Moriar ego*. Aut certe anima mori dicitur non in se, sed corpori, quasi diceret: *Moriatur anima mea corpori, ut illud deserat, nec amplius vivificet*. Nam, ut *Arias Montanus* comment. in hunc locum erudite observat, hoc loco (3) in textu hebraeo נפש *nepesch* usurpatur, quod *animam* significat, in quantum ea est forma corporis, istud vivificans, seu in quantum corpus nutrit, vegetat, aspirationi et respirationi continentem operam dat, et corporis membrum motum ac sensum sufficit: in quantum vero anima intelligit, iudicat, ratiocinatur, et libere eligit, proprie רוּחַ *ruach* appellatur (4). Sic etiam antiquis et doctis latinis facultas intelligendi *mens* vel *animus*, facultas vero sentiendi *anima* dicitur iux-

(1) Iud. c. 16, v. 28, ubi de *Samson* scriptum est: *At ille invocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, etc.* Cuius sacri textus expositionem vide supra num. 35.

(2) Sic anima pro toto homine ponitur, Genes. c. 14, v. 21: *Dixit autem rex Sodomorum ad Abraham: Du mihi animas,*

*cetera tolle tibi*, h. e. da mihi cives et subditos meos captivos. Item Genes. c. 12, v. 5: *Abraham et Loth tulerunt secum animas, quas fecerant in Haran*, h. e. tulerunt liberos, servos, ancillas, quos genuerant, emerant, aut permutarant.

(3) Iud. c. 16, v. 50.

(4) Vide lexicon hebraico-chaldaicum Franc. Haselbauer litera ך columnae 38 et 42.